



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vlt. Nimis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM XV.

Cùm decorem.

Filij Canonorum illegitimè natis conferri non debent beneficia in ijs Ecclesijs, in quibus Patres eorum canonicatum obtinent.

CAPITVLVM XVI.

Ad abolendam.

Filij Canonorum illegitimi, præsertim si spurij sint (siue nati ex mulieribus, cum quibus tempore conceptionis, aut natiuitatis matrimonium consistere non potuisset) in eisdem secularibus ecclesijs, in quibus eorum patres instituti sunt, Canonici fieri non possunt. Et si quis talem instituere præsumperit, à beneficijs suis suspendatur. Ita hoc c. intelligit Gl. ver. illegitimi, & Innoc. hic.

Nota hic argumentum à sensu contrario: Cùm enim Pontifex specificè ac limitatè prohibeat filios illegitimos canonicos institui in ecclesijs secularibus, in quibus patres eorum canonicatum assecuti sunt; censetur permittere, vt filij illegitimi recipiantur in ecclesijs Canonorum regularium, in quibus patres eorum professi sunt. Ita Gl. hic ver. ecclesijs. Sed quid de hac re iure nouo statutum sit, dixi suprà c. 2.

CAPITVLVM XVII.

Dilectus.

Si filius legitimus patri suo in eadem ecclesia absque Sedis Apostolicæ dispensatione, immediatè successit, inde, prout sacri canones statuunt, amouendus est: Tametsi asseratur, quòd Legatus Apostolicus cum eo dispensarit.

NOTANDVM Vn. Legatus Sedis Apostolicæ non potest in vniuersalibus canonibus dispensare, nisi id ei aut præscripta consuetudine, aut speciali priuilegio competat.

CAPITVLVM VLT.

Nimis.

Filij sacerdotum, & alij illegitimè nati Clerici ad dignitates, personatus, & curata beneficia absque Sedis Apostolicæ dispensatione promoueri non possunt; sin autem ita promoti sint, remoueri debent.

Hinc verò per sensum contrarium colligunt DD. Quòd Episcopus cum illegitimis dispensare possit ad beneficia simplicia, vt expressius habetur in c. 1. eod. in 6.

Sed quæres: Si beneficium simplex v.g. ecclesiæ Collegiatæ Canonicatus curam animarum per accidens annexâ habet, propter vniuersitatem Ecclesiæ parochialis, vtrum ad illud beneficium consequendum Episcopus cum illegitimo ex causa iusta dispensare possit? Resp. affirmatiuè cum Lappo in cit. c. 1. n. 3. Ancharano ibid. q. 1. contra Gl. ver. tale. Quia beneficium vniuersum per se non confertur, sed accessoriè cum principali, cuius naturam & conditiones sequitur, vt dixi lib. 4. tr. 2. c. 9.

CAPITVLVM I. eod. Tit.

in 6.

Is qui.

PARAPHRASIS.

Illegitimè nati per Episcopi dispensationem (si alio impedimento canonico non laborent) ad ordines minores, & beneficium, cui cura animarum non incumbit, promoueri possunt: dummodò tale beneficium sit, vt limites dispensationis Episcopalis non excedat. Sed ad maiores ordines, & beneficia curata absque Apostolicæ Sedis dispensatione promoueri nequeunt.

§. Ille verò.

Qui à Sede Apostolica dispensationem accepit, vt non obstante defectu natalium, beneficium, etiam curatum, consequi possit.